



**H**Oruendillus filius fuit Geruēdilli lutorum  
 præfecti. hunc post patrem Roricus rex Iutiæ  
 gubernatorem constituit, anno mundi 3356. In eo lo-  
 co cum optimè præesset, Hollerus Noruegiæ rex  
 operum eius ac famæ magnitudinem æmulatus, de-  
 corum sibi fore putabat, si Horuendillum duello  
 superaret. Itaq; eum prouocatum, ambo conuen-  
 runt, et prius statuerunt ut uictor uictū inferijs pro-  
 sequeretur. Cum hoc modo spectante utroq; exer-  
 citu leges pugnæ constituissent, infestis animis con-  
 currunt. Tum Horuendillus appetendi hostis q̄  
 muniendi corporis nimio animi calore audior red-  
 ditus, neglecta clypei cura ambas ferro manus inie-  
 cerat. nec audaciæ euentus defuit. Hollerū siquidem scuto crebris ictibus ab-  
 sumpto spoliatum, defecto tandem pede exanimem occidere coegit: quem  
 ne pacto abesset, regio funere elatum magnifici operis tumulo, ingentiq; exe-  
 quiarum apparatu prosecutus est. Deinde sororem eius Selam piraticis e-  
 exercitatum persecutus occidit. Cum hoc pacto per tres annos fortissimis mi-  
 litia operibus incubuisset, opima spolia Rorico regi destinauit, quo sibi pro-  
 priorem amicitia eius gradum cōscisceret. Itaq; regis familiaritate fultus, filia  
 eius Geruthæ connubium impetrauit, & ex ea filium Amulethum sustulit.  
 Tantæ foelicitatis inuidia accensus Fengo eius frater, ipsum per insidias ag-  
 gressus interfecit, & trucidati fratris uxore potitus, incestum parricidio adie-  
 cit. Sax. Gram. lib. 3.